

prorumpentes in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante et mirante circumstantium turba. Ne igitur tantae consolationis memoria e fidelium mentibus unquam excideret, tum ut ad ejus imitanda virtutum exempla acrius omnes excitarentur cogitationes, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum, Clemens XIV. Pontif. max., ut dies festus anniversarius translationum reliquiarum s. Rosae ab universo clero regni Peruviani celebraretur, benigne indulsit.

## Lectio VI.

Ex libro s. Augustini Episcopi de virginitate cap. 2 et 12.

Cum ipsa universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit apostolus, quanto digna sunt honore membra ejus, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide? Proinde cum universa Ecclesia sit sancta et corpore et spiritu, quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu? Habeant conjugia bonum suum; virginalis autem integritas et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio.

## Regni Peruviani seu Limana.

Concessis jam a SS. Domino nostro Clemente PP. XIV. die 27. Februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum s. Rosae a s. Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semidupl. pro die a R. Archiep. designanda, idem Archiepiscopus iterum SSmo Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime

supplicavit. Et Sanctitas Sua superscriptas orationem et lectiones proprias ab Emo et Rmo Domino Cardinali Marefusco S. R. Congr. Praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit. Die 23. Apr. 1773.

Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus praemissa omnia, quo firmitus subsistant et serventur exactius, apost. Nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, Nos eundem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus ejus nomine Nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate Nostra apost. tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apost. firmitatis robor adjicimus.

Datum Romae die 18. Jun. 1773.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 586. Ed. Rom. 1841.)

## S. ROSALIA.

(Officium propter reliq. insignem.)

Vd.: Reliq. insign. (Off., decr. n. 3379).

## ROSARIUM.

## 1) Auctor.

Vd.: Rosarium (Officium, discurs. Lambertini VI. 16., Confraternit., Constit. Pii V. et pag. 369. §. 2.).

## 2) Benedictio.

## a) Facultas.

Vicarius generalis Episcopi B. implorat a S. C. resolutionem dubiorum sequentium:

1. Qui obtinet facultatem benedicendi cruce, sacra numismata et

coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum, potestne ea facultate legitime uti coram publico, v. g. in Ecclesia vel Oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus, si in indulto facultatis sit clausula: *privatim*?

2. Quando in indulto existit clausula „in forma Ecclesiae consueta“, sufficitne signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione verborum formulae benedictionis et sine aspersione aquae benedictae?

S. C. resp.

ad 1.: Negative;

ad 2.: Affirmative.

Die 8. Jan. 1843.

(Corresp. de Rome 1848 — 49. Ed. II. p. 48.)

## Pius PP. VII.

Memoria saepe Nos repetentes innumera beneficia in catholicam Ecclesiam indesinenter collatam a B. V. Maria, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo, devotionem erga tantam tamquam beneficam et amantissimam omnium fidelium patronam confirmari atque in dies augeri vehementer optamus et studemus.

Quoniam vero, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus Rector Ecclesiae s. Jacobi oppidi Perpiniani Carcassonen. diocesis, eversis illic templis et conventibus fratrum ordinis Praedicatorum, qui devotionem sanctissimi Deiparae rosarii ex eorum instituto promovebant, altare ejusdem rosarii in dictam s. Jacobi Ecclesiam translatum reperitur, eoque utriusque sexus Christifideles confluent cum ad rosarium devote recitandum tum ad alia pia exercitia explenda, quae antea in dictorum fratrum Ecclesiis peragi consueverant, idem Rector pro spiritali Christifidelium eo confluentium emolumento, coronas precatorias vulgo

rosaria ac etiam sacra numismata cum appellatione indulgentiarum benedicere posse plurimum desiderat,

Nos ipsum exponentem specialibus supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem moderno et pro tempore in perpetuum existenti memoratae Ecclesiae s. Jacobi Rectori, dummodo sit in sacro presbyteratus ordine constitutus, facultatem benedicendi pro dicti oppidi incolis dumtaxat coronas precatorias, quemadmodum a fratribus ordinis Praedicatorum antea fieri solebat, idemque tot sacra numismata, quot satis erunt ad distribuendum oppidi hujusmodi pro tempore existentibus utriusque sexus incolis cum applicatione indulgentiarum plenariae in articulo mortis et indulgentiarum s. Birgittae nuncupatarum ab unoquoque eorum, quibus corona vel numisma hujusmodi fuerint per dictum Rectorem distributa, lucrandarum in forma consueta et ab hac s. Sede praescripta, auctoritate apost. tenore concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae die 21. Febr. 1808. (Bull. r. Contin. t. XIII. p. 308.)

## b) Formula.

Vd.: Ros. (Bened. facult.).

*Ad dubium*: Utrum subsequens formula, quae in nonnullis libris invenitur pro benedictione rosariorum aut coronarum SS. Deiparae, sit authentica aut saltem licita, quamvis non adsit in rituali romano?

## Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, filium tuum unigenitum D. N. J. Chr. de coelis in terram descendere et de B. M. Virginis Dominae nostrae utero s. Angelo nuntiante carnem suscipere crucemque et

mortem subire et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate tenebrarum, obsecramus immensam clementiam tuam, ut hoc signum rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis filii tui benedicas et sanctifices et tantam ei infundas virtutem Spiritus s., ut quicumque illud super se portaverit atque attente et devote recitaverit per invocationem s. nominis tui, corporis sanitatem et animae tutelam percipiat. Per eundem Chr. D. N. Amen.

S. C. resp.: Ad S. C. Indulgentiarum.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

c) Estne necess. ad lucrandas indulgentias?

Vd.: *Rosarium* (Indulg. lucrandi modus).

d) Quae benedicenda?

URBIS ET ORBIS DECRETUM.

In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi Indulgentias, expresse dicitur, quod ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua rejicit Imagines, sive impressas sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata vulgo medaglie nuncupat., quae ex ferro stamno, plumbo vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur. Hinc propositis dubiis huic Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae, an:

1. ab hujusmodi benedictione rejiciantur etiam ex ferro, stamno, plumbo vel ex fragili alia materia facilisque consumptionis conficiuntur?

2. Specialiter, an possint applicari Indulgentiae coronis ex vitro seu cry-stallo confectis?

3. An uni et eidem rei, puta uni coronae, possint applicari Indulgentiae

dictae apostolicae et Indulgentiae dictae s. Birgittae?

4. An recitans alternatim cum socio orationem, cui applicatae sunt Indulgentiae, v. g. coronam vel salutationem angelicam, dictam angelus possit lucrari Indulgentias huic orationi applicatas?

Eadem S. C. auditis rom. Consultorum votis et re mature perpensa respondit

ad 1.: Negative;

ad 2.: Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto;

ad 3.: Affirmative, dummodo renoventur opera injuncta iterabilia;

ad 4.: Affirmative.

Factaque de iis omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. VII. per infrascriptum Secretarium in audientia habita die 29. Febr. anni 1820.

Eadem Sanctitas Sua Congregationis votum benigne approbavit. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum die 1. Martii 1820.

Loco † Sigilli.

B. Card. Naro Praefectus.

Angelus Costaguti Secr.

(Anal. J. P. 1857 p. 2326.)

3) S. Birgittae (Brigittae).

*Indulgentiae rosariis seu coronis, quas s. Birgittae vocant, a Summis Pontificibus concessae.*

Leo X. P. M. per literas suas incipientes: *Ex clementi datas* 6. idus Jul. 1515 concedit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui per et super rosaria seu coronas s. Birgittae devote oraverint, pro quolibet oratione dominica centum dies et totidem pro salutatione angelica et pro quolibet symbolo, si dixerint vel recitaverint, etiam centum dies Indul-

gentiarum: necnon pro quolibet psalterio (id est rosario aut corona quindecim decadum B. M. V.) super illis integre per eosdem christifideles, per seipsos aut cum socio vel familiari, qui eandem Indulgentiam consequatur, dicto vel recitato septem annos et totidem quadragenas.

SSmus Dominus Noster Clemens XI. P. M. in suo Brevi, quod incipit: *De salute Gregis Domini etc.* dato 22. Sept. 1714 concedit omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus confessis et S. Communionem re-  
fectis ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. matris Ecclesiae exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum coronam s. Birgittae, dummodo si saltem quinque decadum recitaverint, semel in anno die per unumquemque christifidelem eligenda plenariam Indulgentiam omnium peccatorum cum facultate etiam eandem plenariam Indulgentiam applicandi animabus in purgatorio existentibus.

Ad lucrandum hujusmodi Indulgentias requiritur, ut coronae a PP. Superioribus monasteriorum aut ab aliis religiosi ordinis SSmi Salvatoris seu s. Birgittae ad id specialiter deputatis sint benedictae.

DECRETUM.

S. Congregatio indulgentiis et s. Reliquiis praeposita die 26. Novb. 1714 censuit permitti posse impressionem praesentis summarii Indulgentiarum concessarum coronis, quas vocant s. Birgittae, addita declaratione, quod omnes aliae Indulgentiae, quae in praesenti summario expresse non continentur, sunt aut apogryphae aut nullae aut a SSmo D. Nostro Clemente XI. revocatae per supradictum Breve datum die 22. Sept. 1714.

Prohibet insuper eadem Sac. Congr. ne hujusmodi coronae vendantur aut al-

teri commodentur, et si secus fiat, declarat supradictas Indulgentias cessare et nullius esse roboris vel momenti.

Datum die 4. Dec. 1714.

L. Card. Pius Praefectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

(Anal. J. P. 1853 p. 1246.)

I. Quando coronis B. M. V. de licentia Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum Indulgentiis s. Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes non tenenter meditari quindecim mysteria D. N. J. C., ut indulgentias percipere valeant.

II. Non datur etiam haec obligatio, si benedictio respiciat Indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho; sed datur si coronae benedicantur cum indulgentiis pro recitatione rosarii.

III. Quando requiritur meditatio mysteriorum, sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur oratio dominicalis et salutationis angelicae; pro personis idiotis sufficit tantum recitatio rosarii absque mysteriorum meditatione ex decreto S. C. 12. Aug. 1726.

Die 1. Junii 1839.

(Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 48.)

Episcopus enixe postulat sequentium dubiorum solutionem:

I. Utrum corona s. Birgittae dicta necessario constare debeat sex decadibus?

II. Utrum in singulis decadibus praeter decem Ave Maria et Pater dicendum sit Credo?

Ratio dubitandi est quod ex una parte I. pars affirmativa satis aperte innuatur in libro, cui titulus: *Raccolta di orazioni e pie opere*, edit. 7. p. 197; II. et quod, si id non requiratur, corona S. Birgittae non nisi nomine differt a simplici corona. Ex altera vero parte I. haec opinio est omnino usque nunc

saltem in Gallia inaudita, et II. ex eodem libro supra citato ad lucrandas indulgentias sufficit recitare quinque decades sicut in simplici rosario.

S. C. respondit ad I.: Affirmative; ad II.: affirmative, si recitetur stricte loquendo corona s. Birgittae nuncupata, de qua ipsamet autrix fuit, in memoriam, ut fertur, sexaginta trium annorum B. M. V.; negative autem, si cum praedicta corona recitentur quinque vel quindecim decades rosarii, seu simplices et communes coronae.

Ex responsionibus vero patet realiter coronam s. Birgittae a simplici et communi corona differre, non tamen solo nomine, ut supra putatur in dubiis, nam ipsa quinque vel quindecim decadibus, ista sex decadibus tantum constare debet; et si simplici coronae seu rosario saepe adnectantur indulgentiae s. Birgittae nuncupatae, hoc non nisi apostolica auctoritate indulgetur. Differt quia una in memoriam componitur B. M. V. annorum, altera mysteria Nativitatis, Passionis et gloriae Christi complectitur. Differt pro indulgentiarum varietate, coronam scilicet divinae Birgittae quamplurimum indulgentiarum Leo X., Clemens XI. sa. me. concessione ditarunt ac Bened. XIV. eas confirmavit et auxit pro recitantibus vel secum ipsam ferentibus. Rosarium vero seu simplex corona a felic. record. Benedicto XIII. nonnullis indulgentiis pro ejusdem recitatione solummodo donata est. Differt etiam pro diversitate benedictionis, qua utraque decoratur. Una nempe a superiore ordinis s. Salvatoris seu s. Birgittae, altera vero a patribus ordinis Praedicatorum est omnino benedicenda; quod autem opinio haec lucrandi scilicet indulgentias s. Birgittae cum sola recitatione quinque decadum sit absolute in Gallia saltem inaudita, satis supra dictum est in responsionibus, quae non-

nullis aliis Galliarum dioecesibus superioribus annis et praesertim 1826, 1838, ab hac S. C. datae sunt.

Ita S. C. responsum dedit die 15. Jan. 1839.

(Ibid.)

Vd. *Rosar.* (indulg., decr. die 1. Junii 1829.)

#### 4) Confraternitatum Ros. prima institutio.

Vd.: *Rosarium* (Officium; discurs. Lambertini §. 41. etc.).

#### 5) Confraternitatis Rosarii Sacerdotes gaudent privilegio altaris.

Sodalitates canonicè erectae privilegiis et indulgentiis gaudent illorum ordinum Regularium, quorum fruuntur titulis, juxta Constitutionem sa. me. Clementis VIII. Ita Sacerdotes sodalitates SSmi Rosarii adscripti gaudent privilegio altaris eo modo quo Presbyteri ordinis Praedicatorum, qui in respectivis eorum Ecclesiis habent privilegium altare B. M. V. de rosario dicatum. Cum vero privilegium hoc sit tantum locale, minime vero personale, sequitur quod ea Ecclesia sodalitates rosarii, ubi hoc altare non reperitur, privilegio quoque altaris omnino careat, nisi tamen in decreto erectionis sodalitates hujusmodi facultas tradita sit Ordinario aliud altare ad hunc finem designandi.

Die 7. Junii 1842.

(Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 48.)

#### 6) Festivitatis institutio.

*Institutio festivitatibus sub invocatione rosarii B. M. V. prima dominica die mensis Octobris in Ecclesiis vel capellis rosarii duplici majori Officio celebrandae pro gratiarum actione de victoria die 7. dicti mensis Octobris parta contra Turcas.*

#### *Gregorius XIII. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

Monet apostolus in omnibus gratias agere, monent quoque sacrarum literarum historiae insignia Dei beneficia, tum ut ei, a quo accepta sunt, merita referantur gratiae, tum ut fideles, quibus collata sunt, illorum memores, ad divinum cultum magis in dies excitentur, solemnibus annuis festivitatibus celebranda esse. Quod cum multoties institutum fuerit, tum vero maxime cum Deus patrum nostrorum populum suum a servitute Aegyptiaca per manum fortem liberavit,

§. 1. Nos itaque, qui non minora beneficia quotidie a Deo optimo maximo accipimus, inter quae illud singularissimum superiore anno ab ineffabili ipsius clementia nobis concessum fuit, ut Turcarum classis et numero longe superior et praeteritis elata victoriis a christianorum classe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante die 7. Octobris non longe a Corinthiaco sinu penitus devicta et quassata fuerit; qua nempe victoria universum populum christianum ab impiissimi tyranni faucibus divino munere ereptum fuisse inficiari nemo potest, Apostoli praecepto parere et sanctorum Patrum exempla sequi volentes, ut hujus ingentissimi beneficii anniversaria habeatur memoria instituire omnino decrevimus.

§. 2. Quia vero preces ad Deum oblatae eo gratiores ad illius conspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus et pio aliquo orandi modo offeruntur, memores beatum Dominicum ordinis Praedicatorum institutorem, cum et Gallia et Italia a pernicioso premeretur haeresibus, ad iram Dei placandam et B. Virginis intercessionem implorandam piissimum illum orandi modum instituisse, quod

Decreta authentica. Tom. III.

rosarium psalterium B. V. M. nuncupatur.

§. 3. Animadvertentes quoque eadem die septima, quae tunc fuit dies dominica prima dicti mensis Octobris, fraternitates omnes sub dicti rosarii nuncupatione militantes per universum orbem, juxta earum laudabilia instituta et consuetudines, processionaliter incedentes pias ad Deum preces effundisse, quas per intercessionem B. Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est; operae pretium nos facturos esse existimavimus, si ad tantae victoriae coelitus procul dubio concessae memoriam conservandam et ad gratias Deo et B. Virgini agendas festum solemne sub nuncupatione rosarii, prima dominica mensis Octobris singulis annis celebrandum institueremus.

§. 4. Quocirca motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ad laudem Dei et Domini Nostri Jesu Christi ejusque gloriosae Virginis matris tenore praesentium decernimus, ut de cetero, *perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die dominica mensis Octobris, per universi orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus altare vel capella rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, festum solemne, sub nuncupatione rosarii praedicti, sub duplici majori officio, ad instar aliarum solemnium festivitatum, celebretur et sanctificetur, eademque die Officium de Beatissima Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur.*

§. 5. Decernentes praesentes, quas perpetuo valere volumus, nullo umquam tempore de subreptionis aut nullitatis seu alio vitio vel intentionis nostrae aut alio defectu notari, argui vel impugnari posse, sed plenarios effectus sortiri debere.

§. 6. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi aut interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari et definiri debere ac ex nunc irritum et inane etc.

§. 7. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§. 8. Volumus autem quod praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 1. Aprilis 1573 Pontif. anno I.

(Bull. r. t. VIII. p. 44. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Vd.: *Rosarium* (Officium — *Urbis et Orbis*.)

#### 7) Hierosolymorum.

(Indulgentiae.)

Vd.: *Via Crucis* (indulgentiae falsae etc.).

*Ad dubium 1.: Utrum Hierosolymorum coronae indulgentias amittant, si alicui donentur?*

S. C. resp.: Affirmative, quoties non dentur immediate vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi.

2.: *Utrum post mortem domini, alter acquirat dominium earum, nempe indulgentiarum?*

S. C. resp.: Negative, quia indulgentiae non transeunt personam prioris domini ex praemissis.

3.: *Si rumpatur illarum filum, sive voluntarie, ut catenis neclantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit?*

S. C. resp.: Negative. Ratio est, quia coronae eadem adhuc perseverant quoad formam moralem.

4.: *Si globuli quatuor vel quinque deperdantur?*

S. C. resp.: Negative ob rationem allatam in praecedenti dubio.

5.: *Si amico praestentur seu commoventur sive ad earum coronam simpliciter recitandum sive ad indulgentias lucrandas?*

S. C. resp.: Negative in primo casu, affirmative in secundo. Ut enim peccant indulgentiae coronis aliisque rebus mobilibus affixae, requiritur finis dandi vel praestandi pro communicatione indulgentiarum, sicuti expresse legitur in elencho indulgentiarum typis impresso et a Sac. Cong. approbato.

Datum Romae ex Secr. S. Congr. Indulgentiarum die 17. Jan. 1839.

(Anal. J. P. 1858 p. 781.)

#### 8) Indulgentia.

(Vd.: *Psalterium*.)

Vd.: *Constitutio Leonis X. die 6. Octbr. 1521* (Bull. r. t. I. p. 621); *Const. Clem. VII. die 8. Maii 1534* (*ibid.* p. 695).

Quando coronis B. V. M. applicata fuit benedictio cum Indulgentiis s. Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes non tenentur meditari 15 mysteria D. N. J. Chr., ut Indulgentias percipere valeant, sed datur si coronae benedicantur cum Indulgentiis pro recitatione rosarii.

Quando requiritur meditatio mysteriorum sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur oratio domin. et salut. angelica; pro personis idiotis sufficit tantum recitatio rosarii absque mysteriorum meditatione. S. C. J. Die 1. Jun. 1829.

#### Clemens PP. X.

Omnibus et singulis Sacerdotibus saecul. et reg., quibus Missam de ss. rosario celebrare licet, necnon omnibus et singulis fratribus et monialibus etiam Tertiariis Ord. Praedical., ac confr. et consorioribus quarumcunque confr. ejusdem ss. rosarii erectarum et erigendarum ubicunque, qui

#### Clemens PP. XIII.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis et Sac. Communionem refectis, qui hora sibi assignata rosarium B. M. V. devote recitaverint et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac s. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Praesentibus ad septennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris; volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae die 18. Nov. 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 145. Ed. Rom. 1841.)

#### Clemens PP. XIV.

Cum sicut accepimus erga s. Dominicum Ord. FFr. Praed. fundatorem et rosarii B. M. V. auctorem devotio introducta fuerit, qua permulti christifideles tertiis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata sua confi-

vere poenitentes et confessi vel saltem confitendi propositum habentes Missae de rosario celebrandae devote interfuerint ibique ad intent. S. S. oraverint, qua vice id egerint, ut omnes et singulas Indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas confr. et consorores dictarum confraternitatum totum rosarium recitando consequuntur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Praeterea omnibus et singulis praefatis, qui Missam de rosario celebrare vel audire consueverint, si vere poenitentes et confessi ac s. communionem refecti et ad intent. SS. oraverint, ut quolibet mense eosdem pariter Indulgentias ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequuntur confr. et consorores praefatorum confraternitatum, qui processioni ss. rosarii I. dom. cujuslibet mensis intersunt, *utque omnes et singulae Indulgentiae, remissiones peccat. et relaxationes poenitentiarum animabus fid. def. per modum suffragii applicari possint tenore praes. concedimus et indulgemus.*

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Romae ap. s. Mariam Major. 16. Feb. 1671.

(Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 338.)

Vd. *Constit. Pii V. diei 28. Junii 1569 et 17. Sept. 1569* in eod. Bull. rom. tom. II. p. 304—305, ubi agitur de confrater. ss. rosarii ejusque Indulgentiis.

*Confirmationem Indulgentiarum ss. rosarii et formam absolutionis confratrum in art. mortis, vd.: Constitutio Innocent. XI. die 31. Julii 1679* (*Ibid.* t. VII. p. 24); *Constitutio Innocent. XI. die 16. Jun. 1679* (*Ibid.* t. XI. p. 264); *Constitutio Bened. XIII. die 19. Jan. 1726* (*Ibid.* t. XIII. p. 204).

teri ac SSimum sumere necnon ipsa fer. tertia aut die illi immediate antecedenti jejunare consueverunt. Nos ut de caetero pium opus hujusmodi fructuosius peragatur et ad augendam fidelium devotionem et animarum salutem, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui de caetero vere poenit. et confessi in aliqua dicti Ord. Ecclesia in una ex praedictis feriis tertiis per eos ad sui libitum eligenda SSimum devote sumpserint et ibi pro christian. principum concordia etc. pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Dom. concedimus. In reliquis vero tertiis feriis hujusmodi iisdem christifidelibus etiam vere poenit. et confessis ac s. Communionem refectis in aliqua ex praedictis Ecclesiis et ibidem ut supra orantibus, qua feria praedictarum id egerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentis relaxamus. *Praesentibus ad Septennium, quoad Indias vero ad 15 annos tantum valituris.*

Romae 4. Sept. 1774.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 768. Ed. Rom. 1841.)

Gregorius PP. XVI.

Benedicentes Domino totius consultationis accepimus, quae a dilecto filio Nostro Aloysio S. R. E. Presbytero Cardinali Lambruschinio Nobis perlata fuerunt de pio quodam exercitio, quod titulo rosarii viventis honori B. M. V. sedula utque industria nonnullorum pietas haud ita pridem excogitavit. Inde enim, Deo bene juvante salubriter, factum iri confidimus, nedum ut precatio ad eandem quovis loco ac tempore sanctae colendam aptissima increbescat ubique in dies magis ex facilitate ipsa sua, sed ut ex tanta

supplicantium consensione majorem quodammodo vim adeptam acceptior feratur ad Deum, qui communi exoratus prece ad commiserationem flectitur et ad gratiam. Quod quidem salutare institutum favore pontificiae auctoritatis commendare atque indulgentiarum dispensatione fovere animo decrevimus libenti repetentes memoria quidnam utilitatis res catholica universa persenserit, ubi primum coronis in honorem sanctae virginis compositis praesens ipsius praesidium fidelis populus est comprecatus.

Quare ad omnipotentis Dei gloriam atque ad virginis sanctissimae Mariae genitricis Dei honorem ex certa scientia et de Nostrae potestatis plenitudine omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui inter cultores virginis pro usu piae precationis, quam *rosarii viventis* nuncupant, recensentur, primo festo die post susceptum pium illud opus, dummodo vere poenitentes Sacramentis confessionis et Eucharistiae sese rite expiaverint, indulgentiam plenariam, quae etiam pro defunctis applicari possit, impertimur. Insuper praeter indulgentias, quae pro rosarii recitatione romani Pontifices praecessores Nostri decreverunt, centum dierum Indulgentiam, quoties ferialibus diebus constituta ex pii exercitii praescripto pars rosarii recitetur: Indulgentiam vero septem annorum cum totidem quadragenis impertimur, si id operis religiose peragatur dominicis et aliis per annum festis diebus, iis etiam, quibus praeceptum audiendi sacrum ademptum est, ac per octavas Nativitatis D. N. J. Chr., Paschatis Resurrectionis, Corporis Christi, Pentecostes et Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. M. V. Pro diebus autem solemnioribus Nativitatis, Epiphaniae, Circumcisionis, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi, item pro dominica Pentecostes et pro festo Trinitatis au-

## DECLARATIO.

gustae, item pro singulis etiam minoribus festis diebus B. M. V.; item in festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, ac in tertia cujuslibet mensis die dominica indulgentiam plenariam, quae defunctis applicari possit, impertimur, dummodo et praestituta recitatio quotidie saltem per mensem, nisi legitima causa quis fuerit praepeditus, sedulo sancteque praecesserit, ac memoratis diebus Sacramenta confessionis et communionis fuerint suscepta et piae preces in aliqua Ecclesia factae sint, quas tamen Indulgentias eos etiam edicimus lucrari, qui vel ex infirma valetudine vel justa aliqua causa distenti sese conferre in Ecclesiam nequeant, alio juxta confessionarii beneplacitum opere subrogato. Verum eo Nos contententes, ut studio venerationis, amoris cultusque erga Virginem Mariam impensiore omnium animi inflammentur, propositaque ideo ditissima Indulgentiarum mercede stimulos vel currentibus admovere dum conamur, illud simul summopere urgemus, ut alia quoque religionis, charitatis ac virtutum officia intente omnes obeuntes moribusque ad christianae disciplinae rationem conformatis cariores se matri sanctissimae exhibeant, quae aeternam vitam eos habituros pollicetur, qui ipsam elucidare studuerint. Secundos hoc pacto atque optatos exitus nanciscentur, consilia et vota haec Nostra faustumque ac salutare hoc opus fideli populo accidisse gratulabimur.

Decernentes has praesentes literas semper firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; in contrarium facientibus quibuscumque Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud s. Petrum die 27. Januarii 1832.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 84.)

Praeter Indulgentias sodalibus ss. rosarii a Summis Pontificibus Ven. Innocentio XI. die 31. Julii 1679, Pio VII. 16. Febr. 1808 concessa atque a SSmo D. N. Pio PP. IX. ex decreto s. Congr. Indulgentiarum die 12. Maii 1851 ampliatas, Benedictus PP. XIII. san. me. ex decreto ejusdem Sac. Congr. die 13. Aprilis 1726, omnibus utriusque sexus christifidelibus rosarium vel saltem tertiam ejus partem corde saltem contrito ac devote recitantibus, pro qualibet oratione dominica et pro qualibet angelica salutatione Indulgentiam centum dierum: recitantibus vero quotidie per integrum annum idem rosarium vel pariter saltem tertiam ejus partem, plenariam Indulgentiam semel in anno, dummodo vere poenitentes confessi ac s. Communionem refecti fuerint, benigne concessit, declarando ut ex alio Sac. Congr. decreto diei 12. Aug. 1726 quod ipsi christifideles coronam seu rosarium habeant a patribus ordinis Praedicatorum de more benedictum atque ipsum recitent reparationis nostrae mysteria devote recolentes, quamvis pro praefatis Indulgentiis lucrificandis sufficiat, idiotis recitatio tantum ejusdem rosarii, ut ex sua Constitutione diei 23. Maii 1727. Insuper idem SSmus D. N. Pius PP. IX. citato decreto diei 12. Maii 1851 universis similiter christifidelibus concessit decem annorem, totidem quadragenarum Indulgentiam semel in die acquirendam si corde saltem contrito tertiam rosarii partem devote sive Domi sive in Ecclesiis seu publicis vel privatis Orationis conjunctim recitaverint; iis vero qui praefatam tertiam rosarii partem ter saltem in qualibet hebdomada eodem modo recitare pro more habuerint, Indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium dominica percipiendam, si vere poenitentes confessi